

Universitätsbibliothek Wuppertal

C. Cornelii Taciti Opera Qvæ Exstant

Tacitus, Cornelius

Antverpiae, 1668

Vorwort

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1742](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1742)

IUSTI LIPSI
AD DIALOGVM DE CAVSSIS
CORRVPTÆ ELOQVENTIÆ

P R Æ F A T I O.



SUPERIORIBVS libris lucem aliquam industria nostra attulit: huic, verè possum dicere, salutem. Nam cum depravatissimus vulgò circumferretur, nulla pagina sine vulnere & vibice: admirabile est, quantum à Farnesiano codice (nam Vaticanis aberat) in eo sanando simus adiuti. Multi hiatus expleti, verba & lineæ integra inserta, centeni aliquot loci (Latinè non oratorie loquor) emendati.

Quorum omnium numerum inire aut longum, aut superuacuum: moderabor, & in his Notis ea saltem tangam quorum vel insignis correctio est, vel ambigua. Reliqua recepta in contextum, satis sit verbo iam nunc prædixisse, è Farnesiani libri fide esse. At de scripto, & scriptore ipso, pauca etiam hîc libanda sunt. Scriptum sanè optimum, stilo, inuentione, iudicio: & quod in hoc genere (integrum esset modò) conferre nihil verear cum iis quæ optimi sæcli, & optima nota. Scriptor tamen ipse incertus. Ita olim iudicauit: neque etiam muto. Nam Tacitum fuisse quæ credam? Stilus valide abnuit, non fallax in hoc genere argumentum. qui in nostro, constrictus ubique, teres, acutus, & seuerus magis quàm lepidus: hîc omnia contra. At mutari is in atate aut argumento potest, inquit. Non nego. sed numquam ita, ut abeat prorsus à sese. Quidquid Cicero scripsit, senex, iuuenis, philologum, philosophum; in iis tamen lineamenta quadam apparent eiusdem viri & vultus. Nec aliter fit in omnibus nobis. Atatem etiam vide, si non pugnat. Hic scriptor sermonem hunc habitum inducit sexto Flauiani imperij anno: eiq; interfuisse se admodum iuuenem. Quomodo verò tunc admodum iuuenis Tacitus, si honores etiam cœpit sub Vespasiano? Id enim de se fatetur, & dignitatem suam à Vespasiano inchoatam ait Historiarum primo. Sed exemplaria omnia Tacito adserunt. Quæ illa? vix bina aut terrena credo ea esse in omni Europâ. quæ tam facile & prouum est hîc mentiri, quàm in aliis libris sæpè. Sed etiam Pomponius Sabinus. Ita enim politissimus doctissimisque Pythæus nos docuit, Notis ad hunc libellum. Is igitur Sabinus media atatis Grammaticus in Carmen de obitu Mæcenatis: Corne-

lius,

lius, inquit, Tacitus appellat scripta Mæcenatis calamistros. Nec negare certè possumus, quin is locus hodieq; in hoc libello exstet. Quid dicam? scriò & ingenuè, nihil me credere huic ignobili Sabino, qui ex veteri verbo, somnauit fortasse quod voluit. Dico me. nam aliis nihil præ eo quid sequantur. Incommodi quid erit, siue Tacito tribuamus; siue M. Fabio Quintiliano, ut mihi olim visum? Nam & stilus ipse planè geminus: & ille se De causis corruptæ eloquentiæ scripsisse plus uno loco fatetur. quem titulum valde appositum scio huic argumento. Præcipuam enim materiem & velut fundum scripti, hoc fuisse; euincunt illa quæ superant, & magis euincerent quæ à fine desunt. Ipse Maternus hîc ad Messallam: Exprime nobis non laudationem antiquorum, sed causas cur in tantum ab eloquentiâ eorum recesserimus. Ætas tamen Quintiliani paullo grandior fuisse videtur, quàm ut hic sermo illo iuvene. Itaque ambigo. & cum multa dixerim, claudo tamen omnia & signo hoc responso, *Mihi non liquere.*

